



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cavssa Helvetica Orthodoxae Fidei**

**Murner, Thomas**

**Lucernae, 1528**

**VD16 M 7034**

Conclusio XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29525**

A C T A

gnauerit, quia lege iulia de ui publica tenet capite puniendus.  
 Septimi euangelici similes dicunt se nostra bona immobilia  
 domos & monasteria nostra expugnatione nostra possedisse.  
 De quo Leuit. vi. sic scribitur Et reddet omnia quae per frau-  
 dem uoluerit obtinere integra, & quintam insuper partem  
 domino cui damnum intulerat.

De omni quod destruit tibi obesse non potens, ut scilicet  
 sunt infringere uitra & fenestras, rumpere ianuas, dilacerare  
 libros, fornaces demoliri, uasa effundere, & eiusmodi sce-  
 lestorum & improbissimorum uiroꝝ clara facinora per euangeli-  
 cos nequos & nebulosus facta in ecclesijs domibus & monasterijs,  
 praecepit Moyses ex diuino ore Deu. xx. Nec potest bellantiũ  
 contra te augere numerũ &c. Hæc in quibus si hostibus facere non  
 licet, quare tuis ciuibus & liberis ex tuis lumbis genitis fieri li-

Neque interest si nullus factus sit concursus, nec (ceret,  
 quisque percussus, sed nihilominus aliquid captum est, nihilomi-  
 nus legi de ui priuata dinoscunt obnoxij ff ad le. iul. de ui pri-  
 uata le. Nec interest. Et quicquid eo modo alienat, improbe possi-  
 det C. Vnde ui. Auctoritate in uer. improbe postulatis.

Ideoque si quis in tam uesana deciderit pertinacia, ut bonorum  
 rei publicae possessionem aut certe aliorum quorumlibet hominum  
 ante latam iudicariam sententiam ui detineret si bona sunt uim faci-  
 entis, debet & bona & possessionem restituere, & illorum bono-  
 rum dominium perdere. Sed si alienis bonis uim facit, non solum  
 bona restituere debet, sed & cum bonis aestimatione C. Vnde  
 ui. Si quis in tanta. Satis itaque hic dictum est de famoso facto &  
 ciuili ac poenali poena eorum qui uim faciunt.

CONCLUSIO XVI.

Famosus est qui concussionem interueniente eiusmodi terro-  
 re absentis bona pro derelictis habet & aufert quia praeses re-  
 stitui iubet & delictum capitali iudicio coercet.

Octauus euangelici nequos, ubi timore ac seditione & tumultu  
 clerici uel monachi aufugerunt, omne quod remanserat  
 accipiebant



## M V R N E R I.

accipiebant, eorum bonorum se domini aestimantes, quippe quod pro derelictis habebant, quod omnino fieri nequit, id enim pro derelicto habet quod uerus dominus eo rejicit animo, quod talia in suorum bonorum numero amplius habere nolebat, insti- dere di. par. Pro derelicto, secus autem est de clericis seditio- ne & tumultu aufugis.

Et tenetur quilibet scire quid non sit suum C. unde uile. fi. sed & quod non sit suum aliorum esse C. unde uile Conquæreba- tur. Sed & nullus nostrorum bonorum in licitatione uel subasta- tione aestimationem ponere debet, etiam si uenalia forent, eti- am si iudæi essemus, ius enim hoc requirit ut cuiuslibet suorum bonorum dominum demandetur C. de iud. & cæli. Nemo.

## CONCLUSIO XVII.

Famosus est qui ablata religiosorum bona etiam in quoscunque- pios usus dispensat, & inuitis dominis contractat.

Si furtum est contractatio fraudulenta rei alienæ inuito do- mino &c. sicut supra sufficenter est probatum & ostensum ff de fur. le. i. Et uos nostrorum bonorum inuitis nobis procuratores esse uultis, nescio ego ullo procuratore uos comparare, quã procuratore in tunica fulua, bursam in collo portantis domi- ni nostri Ihesu Christi, merces autem horum procuratorum est suspensio, sitque hic satis dictum de uestra mendaci responsione, & furo ac stibis quibus maxima uestra furta, rapinas, sacrile- gia exornatis & coloratis. Interim uniuerso orbe uestra sce- lestia mendacia & facinora non ignorante.

## SEQUUNTUR CONCLUSIONES

de iniurijs & contumelijs uiuorum. Et primo cum deo dicatis uirginibus perpetratorum.

Famosus est, qui deo dicatas uirgines lege prohibitas ducit uxores, incesti ueritque coniugij se nuptijs funestans, cum ex eis editos liberos lex pro nullis liberis habere præcipiat, & a patre non alendos demandet.